DISSERTATIO JURIDICA DE JURE ACCRESCENDI INTER VERBIS CONJUNCTOS QUAM DIVINO FAVENTE...

Heinrich : von Cocceji, Johann Engelbert : van Gelder, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

DISPUTATIO JURIDICA
De
JURE ACCRESCENDI INTER VERBIS CONJUNCTOS.

Theſis I.

QVod in præſentia, qui vix primoribus quod ajunt labris Jus Romanum deguſtavi, & perpaucos annos in hoc noſtro Trajectino Athenæo juri operam navavi, de Jure accreſcendi, materia difficillima & ſpinoſisſima, verba facere, & hanc cathedram in hac doctisſima virorum corona publice conſcendere non erubeſcam, mihi forte, ſiniſtra quos in lucem natura extulit, vitio vertent. Sed o tempora! o mores! num moliri, num audere aliquid, num virium ſtudiorumq; periculum facere dedecet? An non, ipſo vate Sulmonenſi teſte, in magnis voluiſſe ſat eſt? nonne & conatus laus erit, ſi deficiant vires? His maleferiatorum igitur ineptiis misſis ſpretisque rem ipſam aggrediemur, & pauca de Jure accreſcendi

inter eos, qui tantum verbis conjuncti ſunt, diſſeremus. Antequam vero rem ipſam explicare incipiamus, videndum primo occurrit, quid ſit Jus accreſcendi. Illud igitur, ſic definitur.

Th. II.

Jus accreſcendi eſt jus, quo ejusdem rei vel hæreditatis portio deficiens accreſcit alteri, qui ſuam partem agnovit. *§. 8. & 16. DD. J. de leg.* Unde partem facere, eſt ceſſare jus accreſcendi, partem autem non facere, locum eſſe Juri accreſcendi, quo non pars, ſed ſolidum alteri acquiritur. *L. 8. §. 8 ff. de Inoff. Teſtam.*

Th. III.

Fundamentum Juris accreſcendi in legatis eſſe conjunctionem conſtat, quæ triplex eſſe dicitur, realis, verbalis & mixta. *l. 142. ff. de V. S. L. 89. ff. de leg. 3.* Nec dubitatur, an inter re & verbis, aut re ſola conjunctos habeat locum jus accreſcendi *per d. §. 8. L. un. §. 10. & ſeqq. C. de caduc. tollend. &c.*

Th. IV.

Sed anceps valde & diſputata acerrime quæſtio eſt, an inter verbis, non re conjunctos ut cum duobus res æquis partibus legatur, Jus accreſcendi obtineat? Quod communiter DD. Schola affirmat.

mat. Sed nec contrariæ ſententiæ egregiis doctiſſimique deſunt Patroni, à quibus defenditur; inter quos Goveanum *tract. de jure accreſc. n. 26.* Cujacium 24. *Obſ. 34.* Hottomannum 6. *Obſ. 12.* Anton. Fabrum 6. *Conject. 1.* nominamus.

Th. V.

Liceat in tanta & tantorum virorum lite, pace eorum, & ſalvo omnium judicio ſtatuere, neutram ſententiam ſimpliciter admitti poſſe, aut legibus componendis ſufficere. Nec movet, quod Hahnius *ad Weſ. tit. de uſufr. accreſc.* aſſerat, communem ſententiam in praxi ſervari: nam nec de illa conſtat, & egomet vidi intra anni ſpatium in Geldria tribus ſententiis in contradictorio judicio contrarium deciſum fuiſſe. Nec vero nunc propoſitum eſt communiorem ſententiam plane improbare, ſed intra limites ſuos coercere, atque oſtendere, quod licet inter verbis conjunctos, ſi ſoli ſint, jus accreſcendi locum non habeat, ſecus tamen ſit, ſi præterea alii quæque in rem conjuncti ſint.

Th. VI.

Primum itaqve ſtatuimus, inter ſolos conjunctos verbis non eſſe jus accreſcendi, idque his rationibus defendimus. 1. Teſtatoris tacita Voluntas,

luntas, unde jus accreſcendi naſcitur, ex eo infertur, quod dum fundum in ſolidum duobus legavit, utroſque in hoc fundo hæredi omnibusque aliis prætulerit, eosque ratione hujus fundi magis dilexerit, quam reliquos omnes. *arg. L. un. §. 11. ſin vero non omnes C. de cad toll.* his enim duobus hanc rem legavit, aliis nullo modo: Unde ſequitur, quod illos in toto hoc fundo potiores eſſe voluerit hærede & omnibus aliis, inter ſe autem pares, adeoque concurſu fundum dividi. Id vero dici nequit, quando cuique partem tantum legat, hac formula. *Primo & ſecundo fundum æquis partibus do lego:* quibus verbis cum primo tantum pars fundi relicta ſit, in hac duntaxat parte hæredi & aliis prælatus eſt, non vero in parte ſecundi, quæ non ipſi magis quam hæredi aliisve, ſed ſoli ſecundo relicta eſt. Non poſſunt igitur primus vel ſecundus in toto fundo a teſtatore hæredi prælati videri, quibus expreſſe pars tantum relicta eſt. 2. Conjunctionem mere verbalem non ſufficere juri accreſcendi evidenter hoc exemplo oſtenditur: *Primo & ſecundo ſingulos ſervos do lego:* Hic verbis conjunctos eſſe certum eſt, quia una tantum oratione duobus ſervi legati ſunt, & tamen nullum ibi eſt jus accreſcendi *per*

L. 84.

L. 84. §. pen. ff. de leg. 1. Nec vero 3. quicquam intereſt, an Teſtator dixerit, *Primo & ſecundo fundum æquis partibus do lego;* an iſta: *Primo & ſecundo fundi æquas partes do lego;* nam idem eſt, fundum æquis partibus, & æquas fundi partes habere. At vero hi non magis in eundem fundum concurrunt, quam ſi Teſtator dixiſſet, *Primo partem fundi do lego. Per laudatam L. 84. §. pen.* 4. Ad Jus accreſcendi inprimis requiritur, ut ſolidum duobus relictum fuerit, nec partes, niſi concurſu fiant. Ita Celſus ait *in L. 3. pr. ff. de uſufr. accreſc. Toties Jus accreſcendi eſt, quoties in duobus qui in ſolidum habuerunt, concurſu diviſus eſt.* Atqui ſola oratione conjunctis partes tantum, non ſolidum relictum eſt, his verbis; *æquis partibus do lego.* Non itaque inter eos jus accreſcendi eſſe poteſt. Et cum 5. Celſus juri accreſcendi locum non dederit, niſi concurſu demum partes fiant, quod & Julianus ita definit *in L. 1. §. f. ff. eod.* dici omnino de conjunctione verbali non poteſt, concurſu demum legatariorum partes fieri, quas teſtator ante concurſum jam expreſſerat. 6. Neque vero ea eſt natura juris accreſcendi, ut plus legatarius accipiat, quam ab initio ipſi relictum fuit, ſeu ut, cum teſtator

tan-

tantum partem fundi manifeſte dederit, ipſe totum conſequatur; ſed hæc, ne deficiente Collegatario id ſolidum ei auferatur, quod teſtator dederat, & cui ſolus collegatarii concurſus tantum partem detrahere poterat. 7. Eſt & aptisſimus textus *in L. 66. ff. de her. inſt.* ubi hæc affertur diſpoſitio; *Titius hæres eſto: Cajus & Mævius ex æquis partibus hæredes ſunto:* in qua etſi Cajus & Mevius Syllaba, i. e. verbis conjuncti ſunt, tamen quoad jus accreſcendi non magis inter ſe, quam cum Titio conjuncti cenſentur, qui nec re nec verbis conjunctus eſt, indeque portio deficiens, nulla conjunctionis ratione habita, omnibus hæredibus ex æquo accreſcit, cum tamen in hæreditate propter individuam ſui naturam longe major conjunctio ſit, quam in rebus legatis. Ita ergo hoc JCti interpretati ſunt, ut teſtator non in eandem rem conjugere, ſed celerius loqui voluisſe videretur *d. l. 66.* quod utique & ratio ac natura uſusque ſermonis evincit. 8. Et quid evidentius Celſo, qui *in L. 80. ff. de leg. 3.* diſertisſime negat, his verbis, *æquis partibus do lego*, conjunctim legatum videri? Sic enim inquit: *Conjunctim legari hoc eſt, tota legata ſingulis data eſſe, partes autem concurſu fieri.* At ſola oratione conjun-

junctis non ſunt tota legata ſingulis data, ſed partes tantum, ut ex formula, *æquis partibus*, conſtat. Non ergo inter eos jus conjunctionis ſeu accreſcendi eſſe poteſt. Unde 9. nec *in §. 8. I. de leg.* nec *in L. un. §. 10. & 11. C. de cad. toll.* ubi tamen prolixe de conjunctis tractatur, niſi duplicis tantum, & nulla hujus conjunctionis fit mentio. 10. Textus in hanc rem expreſſus quoque eſt in *l. 20. ff. de leg. 2.* ubi quod ſervo communi legatum, altero Dominorum omittente ideo non accreſcere alteri dicitur, *quia non conjunctim ſed partes legatæ eſſent.* Et tamen fuit ibi tantum una Oratio, & ſic Conjunctio verbalis; & ne quidem partium expreſſio, ut in formula, *æquis partibus.* 11. Hoc & indubitato evincit. *L. pen. ff. de uſufr. accr.* ubi expreſſe dicitur; *Si æquis portionibus duobus ejusdem rei uſusfr. legatus ſit, inter eos jus accreſcendi non eſſe.* Idque tam certo Papinianus poſuit & tenuit, ut eo, tanquam certa ratione uteretur ad probandum, quod, ſi ſingulis ab hæredibus ejusdem rei fructus legetur, illi ſeparati videantur, quia perinde eſſet, ac ſi æquis portionibus legatus fuiſſet, indeque concludit, ceſſare jus accreſcendi. *d. l. pen. l. ult. ff. eod.*

Th. VII.

Nec reſponderi cum Donello poteſt, accipiendum id eſſe; non de portionibus rei, ſed hæredum: nam & textus repugnat, cujus verba ſunt; *ſi æquis portionibus ejusdem rei fructus duobus legatus*: ac conſtat, conjunctos eos verbis fuisſe & tamen jus accreſcendi ceſſare, quod ſolum quærimus. In dicta *L. f.* autem tantum ratio redditur, cur illi duo legatarii non videantur re conjuncti.

Th. VIII.

Denique 12. in terminis Paulus *in L. 89 ff. de leg.* 3. rem totam ita decidit: *Conjuncti videntur verbis, non etiam re: Titio & Sejo fundum æquis partibus do lego, quoniam ſemper partes habent legatarii*: Si ſemper partes, ergo nunquam ſolidum. Quod manifeſtius eſt, quam ut evitari hac ratione posſit, quod id dicatur comparatione re & verbis conjunctorum: nam hoc poſito, vel magis inde patet inter verbis conjunctos non eſſe jus accreſcendi, cum

re &

re & verbis conjuncti *non ſemper* habeant partes, ſed concurſu demum, verbis conjuncti vero *ſemper*; ergo & quando non concurrunt. Et hi duo tantum ſunt caſus, quæ invicem opponuntur; quod verbis conjuncti aut concurſu tantum partes habeant, ut reliqui coniuncti, aut licet non concurrant; ſi illud, nec reliquis conjunctis opponuntur, nec verum eſt; quod dicitur *in d. L. 89.* ſemper partes habere. Si hoc, ceſſat jus accreſcendi, quod demum locum habet, quando non concurrit alter, ſed deficit ſuntqve verba JCti tam generalia & tam manifeſta, ut divinantes reſponſiones contra hunc textum admitti nequeant.

Th. IX.

Nulla autem re magis confirmabitur hoc jus, quam ſi apparuerit, alteram communiorem opinionem ſuo ſenſu & intra cancellos quaſi ſuos veram eſſe, neque ſic explicatam cum hac pugnare.

Th. X.

Dicimus itaque porro, Jus accreſcendi tum inter verbis conjunctos locum habere, cum præter eos alii quoque in eandem rem conjuncti ſint: horum enim acceſſio facit, ut in illis quoque realis aliqua conjunctio eſſe incipiat. Patebit res exemplo; Si Teſtator dicat: *Primo & ſecundo fundum æquis partibus do lego:* culibet duntaxat ſemiſſem in fundo dedit, & habebit alium ſemiſſem Primus, alium Secundus: inde fit, ut, cum alius atque alius ſit utriusque ſemis, in nulla parte fundi vel ſemisſis re conjuncti videantur. Aſt ſi teſtator pergat eum fundum Tertio quoque legare hoc modo: *Primo & ſecundo fundum do lego: Eundem fundum Tertio do lego:* hic tertius in concurſu ſemiſſem fundi auferet; quo accidit, ut, cum unus tantum ſemis ſuperſit, in eum reliqui duo neceſſario conjuncti videantur; cum enim illis, ſcil. primo & ſecundo ſemiſſem ſingulis dederit, non autem niſi unus, deducto tertii ſemiſſe, remaneat, in illum ambos conjunctos eſſe neceſſe eſt: adeo, ut, licet duo illi, primus & ſecundus, ne quidem

eſſent verbis conjuncti, tamen Jus accreſcendi, tanqvam inter re conjunctos obtineret.

Th. XI.

Qvam præter allatam rationem hæc explicatio evidentibus legum textibus ſtabiliatur, videamus. Patet ea primum ex *L. 41. pr. ff. de leg. 1.* ubi initio hæc ſpecies proponitur: *Mævio fundi partem dimidiam do lego, Sejo partem dimidiam do lego.* Hæc diſpoſitio, ſi ſola eſſet, certum eſt, non fore inter hos jus accreſcendi, cum nec verbis nec re conjuncti ſunt. Sed addit teſtator: *Eundem fundum Titio do lego:* hac adjectione jam fit, ut priores duo re conjuncti eſſe, & jure accreſcendi uti incipiant: adeo ut Sejo deficiente pars ejus non modo Titio, re conjuncto, ſed & Mævio, cui nullo modo conjunctus videbatur, accreſcat. Sed & ratio deciſionis eadem, qvam diximus, *in d. L. 41.* ita ſubjicitur: *qva, cum ſeparatim & partes fundi & totus* (en! cauſam deciſionis, qvod adjectum ſit legatum totius fundi] *legatus ſit, neceſſe eſt, ut pars, qvæ ceſſat, cuiqve accreſcat.* Qvodſi ergo Mævius & Sejus, cum nec

re nec

re nec verbis conjuncti eſſent, in eundem ſemiſſem conjuncti propter adjectionem tertii videntur, qvanto magis, ſi verbis conjuncti fuiſſent, & teſtator ita dixiſſet: *Mævio & Sejo fundum æqvis partibus do lego. Eundem fundum Titio do lego*: Mævius & Sejus pro re qvoqve conjunctis propter Titii legatum habendi eſſent.

Th. XII.

Idem qvoqve luculenter apparet ex *L. 142. § Lucius Titius ex parte ff. de V. S.* ubi primus ex ſemiſſe, ſecundus ex eadem parte, qva Primus, Tertius ex ſemiſſe, diverſis Orationibus, hæredes ſcripti ſunt, & ait JCtus, *dubitari poſſe, an tres ſemiſſes facti ſint;* ſed id ea ratione negat, *quia Tertius qvoqve ex ſemiſſe hæres ſcriptus eſt*, qvo deducto reliqvi duo ad eundem ſemiſſem, qui ſolus ſupereſt, pariter vocati videntur: ita enim inqvit: *ſed eo, qvod Tertius qvoqve ex parte dimidia ſcriptus eſt, vero ſimilius eſt, in eundem ſemiſſem duos coactos, & conjunctim hæredes ſcriptos eſſe.* Si igitur Tertius adjectus non fuiſſet, reliqvi

qvi duo non fuiſſent conjunctim ſcripti hæredes, ſed in alio atque alio ſemiſſe.

Th. XIII.

His igitur demonſtratis quæritur; An qui verbis conjuncti ſint, potiores ſint re conjunctis? Id qværitur *in L. 89. ff. de leg. 3.* quæ proinde quæſtio ſemper ſupponit, præter verbis conjunctos, alium quoque re conjunctum eſſe. Et decidit Paulus *in d. L. 89.* conjunctum verbis quoque potiorem esſe, cujus proinde textus adeo involuti & difficilis ſententia obvia jam & perſpicua eſt, dicendumqve qvod re & verbis conjuncti omnino cœteris præferantur, re conjunctis autem etiam verbis conjuncti; quod & convenit *L. 63. ff. de hær. inſt.* Ut autem verbis tantum conjuncti, cum conjunctis re & verbis contendant, vix accidere poterit: cum enim duo tantum verbis conjuncti ſunt, his reliqui omnes re ſaltem conjuncti erunt.

Th. XIV.

Nec quicquam adverſatur *L. 16. §. f. ff. de leg. 1.* illa enim ſpecies, qua Titio & poſthumis lega-

legatum eſt, non conjunctione; ſed alia longe ratione nititur: nam poſthumorum legatum ſemper incertum & conditionale eſt, qvia neſcitur, an & qvot naſcituri ſint, adeoqve ſi nulli poſthumi naſcantur, nulli Titio in re legata adjecti videntur, qvia ſub conditione demum nativitatis adjecti ſunt, quæ deficit. Etſi igitur Titio & poſthumo virilis portio legetur, nullo tamen poſthumo nato totum habebit, qva tum hoc qvaſi virilis ipſius portio eſt: uti enim ſi duo naſcantur, portio virilis Titii triens eſt, ſi unus ſemis, ita ſi nullus ſolidum.

Th. XV.

Non magis reſiſtit *L. 66. ff. de hær. inſt.* ubi verbis conjuncti non cenſentur coniuncti, etſi tertii conjunctio adjecta fuerit. Nam Tertius non fuit ibi in totum vel in certum ſemiſſem conjunctus, ſed omnes ſine partibus ſcripti, quo caſu conſtat partes hæredum æqvales & ſcil. trientes esſe. §. 6. I. de hær. inſtit. L. 9. §. 12. L. 10. ff. eod.

Voluisſe ſat eſt.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE